

queunt? Nonne lata porta Calvini, qui præter illa etiam fidem de eucharistia abrogavit? Contra vero quis nescit catholicam Ecclesiam docere et tenere arctam viam, quæ nobis serio inculcat timorem iudicii et incertitudinem salutis, opera pœnitentiæ, præceptorum observationem, confessionem, etc. quis nescit asperas esse virtutes et sacramentorum usus præsertim confessionis: et tamen non nisi per hæc ingredi non cœlum posse putamus. Jam vero sicut arctæ vitæ terminus est salus æterna, ita latæ vitæ gehenna. Sapiens, Prov. XX. ait: *Suavis est homini panis mendacii, et postea implebitur os ejus calculo.* Panis mendacii hæreticorum doctrina est, quæ liberat ab omni eo quod difficile est, et securitatem salutis promittit. Suavis est illis panis iste, vorare carnes, nubere etiam post vota, etc. sed in morte panis iste vertetur eis in lapidem, quem non poterunt devorare: *Cum dixerint: Pax et securitas, inquit apost. 1. Thess. V. tunc repentinus eis superveniet interitus.* Quid enim quæso solatii, imo quid non mœroris et desperationis habebit homo hæreticus in morte sua, cum ibi recordatus fuerit se nihil unquam boni fecisse, sed liberrime et dissolute vixisse? Quid is sperare a Deo mercedis possit, qui nihil unquam durum aut difficile fecerit, sed suavi semper et lata inaccesserit via? Imo quid non metuet, si recordetur illius: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur?* Contra vero catholicus qui præcepta servavit, quantam habebit consolationem? Qui enim hic non habuit nec quæsitivam consolationem suam, sed in afflictione patienter vixit, quomodo non sperabit ibi refrigerium? Atque ut daretur quod non esset honorum operum merces, saltem non habebit, quod timeat, quod tamen habebit hæreticus.

IV. Accedunt demum alii qui ideo se excusant, quod nunc videant in Ecclesia multos pauperes, debiles, cæcos et claudos, id est, multos perversos quasi indignentur eos sequi, et inter illos esse. Nulli quidem tales leguntur fuisse in hodierno evangelio, neque hoc prætulerunt, qui tertio vocati et venire compulsi sunt, licet pauperes et debiles jam in cœna sederent, sed non desunt tales inter hæreticos. Obijciunt enim nobis vitia nostra, et præsulum nostrorum integris libris, et per hoc satis probatam putant sectam suam, nostramque confutatam. Sed quæso te hæretici: *In lege quid scriptum est? Quomodo legis?* Matth. XXIII. scriptum est: *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisei: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, facite, secundum opera autem eorum nolite facere.* Quo loco non vituperat Christus cathedram Moysis, ut notat S. Augustinus contra litteras

Petil. l. II. c. LI. nec vocat cathedram pestilentiam, quemadmodum hæretici Romanam vocant, licet multi in ea sedissent mali. Itaque securum te fecit Christus; non enim examinaberis in iudicio, quid pontifex Romanus fecerit, quid hic vel ille episcopus, etc. sed quid tu. Deinde, ministri eorum mirum in modum mentiuntur in catholicos, ut nos evangelium abjecisse, merita Christi annihilare, propriis meritis inniti, lapides adorare et ligna, pontificem esse antichristum, etc. item nos multa introduxisse veteribus incognita, uti exequias, crucem, benedictionem aquæ et olei, sanctorum invocationem, etc. quæ tam alte eorum animis infixæ sunt, ut licet nos fortissimis argumentis pugnemus, non credant nobis, sed satis se respondisse putant, si dicant: Tu es papista: papista est asinus, ergo nihil scis. Tertio, considerant tantum defectus nostros, non item virtutes et perfectiones, instar upuparum, quæ faciunt sibi nidum, non e plumis ut aves aliæ, sed de stercore. Non sciunt illi nostram doctrinam, nostra argumenta, nostros ritus, leges, bona opera, etc. longe aliter eis depingimur, quam simus; vel certe scire id nolunt. Denique, nonne ante octiduum audivimus: *Quia autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, etc.* Corrigan ipsi primum vitia sua, habebunt quod agant, longe magis quam nos.

Quid igitur, auditores, putatis ad has excusationes responsurum Dominum? Nonne id, quod invitatis in hodierno evangelio: *Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Sed quoniam hæretici indigne ferunt, si eos condemnemus, siquidem obijciunt nobis Scripturam: *Nolite condemnare, etc.* non erimus tam austeri. Quid igitur dicemus responsurum illis Dominum? Putamus aulice responsurum, sicut illi se excusarunt. Dicebant illi: *Rogo te, habe me excusatum.* Ad eundem modum Dominus hæreticis, cum aliquando pulsabant fores ejus, dicentque: *Domine, Domine, aperi nobis, dicit: Rogo te, habe me excusatum.* Sic enim Prov. 1. ait: *Vocavi et renuisti, extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Ego vero in interitu vestro ridebo, cum vobis id quod timebatis, e venerit.* E contra invitantur pauperes, claudi, cæci, et debiles: pauperes qui non amant bona temporalia præ Deo ejusque justitia: claudi, qui non querunt libertatem carnis, sed malunt viam arctam ambulare: cæci, qui non propriis sensibus aut scientiæ innituntur, sed fide duoi malunt: debiles, qui non horrent catholicam fidem, licet interdum in ea debiles videant rectores et subditos; sed propriam considerant debilitatem potius quam alienam. His nos ag-

gregemus, si ad magnam illam cœnam intrare, et cum Christo Domino æternam cœnare volumus.

## CONCIO IX.

## DOCUMENTA.

- I. Discunt superiores: 1. Non aspernari pauperes.
2. Iram frænare. — II. Discant servi: 1. Obedire sedulo dominis. 2. Admonere heros damni sui.
3. Reddere rationem muneris sui. — III. Discunt divites non amare mundi bona, multiplex amatorum mundi stultitia. — IV. Discunt pauperes bene sperare. — V. Discunt conjugati versari se in periculo: 1. Ob abusum matrimonii. 2. Ob distractionem a cultu divino, ob gravia conjugii onera. — VI. Discunt acatholici et infideles se non salvandos nisi per fidem catholicam. — VII. Discunt Christiani acquiescere Dei vocationibus et mandatis.

## THEMA.

*Homo quidam fecit cœnam magnam.* Luc. XIV.

Inter alias cœnas, quas designat hodierna parabola, non minima est evangelium Christi. Cœna namque est, quia ultimis temporibus mundo exhibita: cœna, quia variis doctrinarum et virtutum quasi epulis instructa: cœna, quia hic in terris satiat appetitum, ut nihil aliud quærat quam requiescere in Christo. Præterea cœna magna est, quia omnibus proposita, quotquot eam adire volunt: magna, quia a magno Deo magnis impensis parata: magna, quia degustata ad maximam eamque æternam felicitatem ducit repudiata vero ad maximam et æternam calamitatem. Viderint ergo illi qui cœnam hanc despiciunt et ob leviculas quasque causas ab accessu ejus se excusant; villam, boves, conjugem verbo Dei præferunt et interim cœlum et animas suas negligunt. Viderint, inquam, quid aliquando a cœna hujus instructore audituri sint. Vos vero, auditores, qui ad cœnam istam hodie convenistis, et per annum sedulo convenitis, gratulari nobis potestis. Ego porro e cœna hodierni evangelii selectiora eligam fercula, et vobis, si non depascenda, saltem delibanda proponam.

I. Ferculum primum ex hac cœna jure merito debetur superioribus. Et quid isti discunt ex hodierno evangelio? Primo, non aspernari pauperes, infirmos, et debiles. Vident enim patrem hunc familias non horruisse pauperes, debiles, cæcos et claudos aliosque de foris e sepibus abstractos, nunquam a se visos cœnæ suæ adhibere et cum illis cœnare. Hinc forsitan olim sceptrum regnum formam aratri referebant, teste Pierio, l. XLVIII. ad insinuandam eis humilitatem, ut agricolas et infimos quosque non

spernendos scirent. Qua in re inter gentiles laude excellunt Vespasianus imperator qui non senatores solum, sed privatos etiam homines publice salutabat, accipiebat hospitio atque interdum etiam apud eosdem cœnabat, Tymp. in spec. magis. sig. LXXVII. Hadrianus imperator qui bis ac ter in die ægros invisebat, et consiliis aliisque subsidiis sublebat, teste Cuspiniano, apud eundem Tymp. Quod idem inter Christianos fecit Gratianus imperator, eodem auctore; S. Eduardus Angliæ rex, qui pauperem claudum rogatus humeris suis ad templum gestari non erubuit, teste Ealredo, in vita. Si hæc reges, quid faciant domini inferiores? Deinde, iram frænare et ita moderari, ut ne in destructionem, sed in ædificationem subditorum cedat. Vident enim patremfamilias (Deum) etsi delusum ab invitatis, iratum quidem fuisse; sententiam tamen exclusionis distulisse usque dum alii vocarentur; deinde, iram suam non vertisse in perniciem, sed in bonum subditorum, dum loco invitatorum jussit mox vocari pauperes, non sustulit cœnam, non deiecit fercula per fenestram, nec canibus aut histrionibus et parasitis abligurienda ex furore dedit, quemadmodum alii quidam faciunt. Hinc bene Nahum 1. vocatur Deus habens furorum, Hebr. *vir iræ* vel Dominus furoris, quia regit iram seu vindictam: non regitur ab ira, uti communiter homines. Itaque superiores sint etiam domini iræ suæ, et nihil imprimis grave statuunt et decernunt ira adhuc durante: *Cum ira enim nihil recte, nihil considerate fieri potest, inquit Cic. 1. de offic. Optime Seneca, l. 1. de ira, c. XVI. Non irascar latroni? Non irascar venefico? Non, neque enim mihi irascor cum sanguinem mitto. Omne pœnæ genus remediū loco admoveo.* Alterius exemplo discant. Alboinus Longobardorum rex cum post triennem obsidionem Papienses seu Ticonenses certis et honestis conditionibus a rege subsignatis, sese dedissent, urbemque is prodeuntibus obviam civibus, nihilominus intrare hostili animo torvoque vultu immitem animum aperte prodeunte, cum exercitu constitisset, tum repente in ipsius portælimine, Alboini equus, rege ornato regio insidente concidit: quem erigere conati adstantes fato dejectum, utrumque immotum sensere, casumque admirati regem monuere, ut iram quam in Papienses delendos occulte fovebat animo, dimitteret, urbemque servare constitueret. Invasit illico perpetrandi sceleris pœnitentia regis animum, mutataque sententia, sensit simul fata commutari, hujuscemodi voce emissa: *Salva sint civitatis jura, et quæ spopondi, fiant eodem actu.* Quam vocem postquam emisit rex, mox surrexit sine impulsore equus. Vere igitur Sapiens, Prov. XXVII. dixit: *Grave est*

saxum et onerosa arena, sed ira stulte utroque gravior, quod expertus hic Alboinus.

II. Secundum ferculum servorum est. Discunt isti primo, dominorum imperata sedulo et accurate tacere. Sic enim servus patrisfamilias in hoc tero evangelio, ad nutum domini praestitit, quae in mandatis habuit. Jussus primos vocare vocavit: secundo, adducere, adduxit: tertio, vi adhibita compellere, compulit; unde ait: *Domine factum est ut imperasti.* Quod si hoc exemplo non moventur, canes observent, qui jussa dominorum, ubi ad hoc edocti fuerint, faciunt ad unguem. Quemdam vir praedives in Delphinatus urbe Sancta Valeriana, qui projectum sibi panem vel carnem tamdiu inter pedes tenuit, donec audiret: *Rape.* Quin et carnem ori jam ingestam, si audisset: *Serva,* devorare non est ausus donec audiret: *Rape,* vel elevata manu concederetur. Refert Richeomus, in valed. an. col. XXXIX. Si hoc canis; quid homo?

Deinde, servus iste admonet herum rei, quam scire ab hero oportebat, nimirum adhuc locum esse, nec impletum numerum cenantium; tametsi haec monitio novum ipsi laborem paritura erat in adducendis pluribus aliis. Itaque servi boni est, admonere dominum eum de ejus honore, damno, vel emolumento agitur in seio hero, ejusque rem domesticam promovere quantum potest: licet id sine suo labore et fastidio fieri non possit.

Denique, peracto munere suo ad herum redit, et rationem executionis suae reddit, sine fastu tamen vel sui ipsius dilaudatione: neque enim ait: *Feci sicut imperasti;* sed: *Factum est ut imperasti.* Hunc in modum servi, cum sibi quid injunctum est, eo peracto revertantur ad heros et rationem officii administrati reddant, non seipos dilaudando, sed cum debita humilitate suam obligationem monstrando. Ordinarie parum praestant, quia suamet obsequia depraediant.

III. Tertium est divitum et mundi amatorum. Vident illi in hoc evangelio, quanto suo periculo tractent opes et mundi bona, ut quae duos invitatos abstraxerint a cena. Magna porro et multiplex horum stultitia fuit. Prima, dum emigrant villam et boves antequam viderent et prolabantur; eadem est mundi sectatorum, qui labore comparant sibi opes, honores et delicias, antequam eas examinent. Unde fit, ut res vilissimas et aura mutabiliores ingenti pretio emant, vix terantio aestimabiles. Similes in cunctis potatoribus qui cauponas ingrediuntur et laute epulantur, antequam licitentur vinum et epulas, ad extremum igitur cum rationes exigithopes grandisse aere obstrictos vident, et

mirantur quomodo fieri potuerit, ut tam caro cenarint. Non sic mulier illa prudens, quae, ut ait Salomon, Prov. XXXI. *Consideravit agrum et emit illum.* Prius consideravit, deinde emit. Sed nimirum insanus mundi amor cultores suos abripit sine praevia deliberatione ad stultissimum contractum.

Secunda, dum aspectum et gustatum rerum sibi emptarum praepouunt fruitioni caelestis convivii. Unus illorum ait: *Eo probare boves.* Et quid est probare? Semel jungere aratro et tentare an idonei sint: non arare, non tritutare. Quod igitur est hamus piscibus, hoc sunt mundi bona mundanis. Vermiculus aut locusta piscatoris hamo affigitur: et quid inde capiunt pisces? Degustant et arrodunt escam et interim capiuntur; non absumpta illecebra; una eademque esca saepe multos capit priusquam capiatur. Una eademque villa, imo unus idemque bos quam multos habuit dominos? Alter ait: *Necesse habeo exire et videre villam.* Miserior adhuc iste, qui non nisi videre querit villam suam: et quis hic nisi avarus, qui solos oculos pascit auro et argento, corpus pascere non audent?

Tertia dum non nisi curarum sarcinas et labores emunt. Unus enim illorum ait: *Juga boum emi quinque;* alter: *Necesse habeo exire.* Ergo juga, ergo labores et onera, ergo aureas compedes, quibus ad laborem cogantur, sibi emerunt nummis suis. Quanta haec stultitia? Tyranno igitur qui totum eorum laborem sibi vindicat servire malunt quam Deo. Pro uno Dei jugo excusso, quinque sibi imponunt: jugum in acquirendis bonis, jugum in conservandis, jugum in augendis, jugum in perdendis, jugum in defendendis coram Dei tribunali.

Quarta, dum exeunt ad illa, hoc est, excedunt e mente sua et abripiuntur ad opes et delicias mente pertractandas, ut jam non domi suae, sed toti extra se in area; in patinis, poculis, et deliciis sint. Nam: «Sicut ii, inquit S. Ambrosius, serm. LXXXI. to. III. qui per insaniam mente translati sunt, non jam res ipsas, sed passionis suae phantasias vident: ita etiam mens avari semel vinculis cupiditatis adstricta, semper aurum, argentum videt, semper redditus computat: gratius intuetur aurum quam solem videt.»

IV. Quartum pro pauperibus facit, et suavissimum quidem ferculum. Vident enim in haec parabola se non modo a caelestis cenae deliciis non excludi, sed inter magnates accumbentes numerari, et vero plurimis potentissimis praeponi. Mundus non admittit pauperem ad convivia principum: foris stare debent, et cum olulis suis reliquias expectare; verum in altero saeculo recumbens inter principes et saepe ho-

nestiori ac priori loco, quam illi. Certe securiorem viam perveniendi ad caelum habent, quia nullis retinentur mundi laqueis. Hinc ad cenam vocati, expeditae paruerunt, ne unus quidem se evasisset auditur: praegaudio exsillisse, et ad cenam cucurrisse, minime dubitandum. Pauperes enim instar columbae illius sunt, ex arca Noe dimissae; quae: *Cum non invenisset ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam, extenditque* (Noe) *manum suam et apprehensam intulit in arcam:* corvus vero ex eadem emissus, nequaquam est reversus, quia natantibus in diluvio cadaveribus insidens pabula sectabatur, Gen. VIII. Typus opulentorum corvus, qui amor villae, boum et hujusmodi cadaverum illecti et retenti non volant ad arcam convivii caelestis: typus pauperum columba, qui cum spes suas ponere in rebus fluxis nequeant, non habentes ubi requiescant, ad Christum et arcam ejus contendunt ab eoque aditi inferuntur caelo. Intellexere hoc ex parte etiam gentiles. Eucritus cuidam quaerenti, uter esse mallet, Cræsus an Socrates (pauper philosophus) respondit: *Vivens mallet esse Cræsus, moriens autem Socrates,* indicans divites hic quidem esse beatos, sed in morte infelices: pauperes contra felices in morte, adeoque absolute preferendos, Stob. Rectius adhuc Alexander Magnus qui etiam in hac vita Diogenis conditionem omnium pauperrimam sui felicitati equiparare, vel etiam preferre non dubitavit. Fertur enim dixisse: *Si Alexander non essem, Diogenes esse vellem,* Plut. orat. 1. de fortuna Alexandri.

V. Quintum conjugatis quadrat. Vident illi se quoque versari in periculo perdendae salutis, quando etiam is, qui uxorem duxit, (non pellicem) ab uxore praepeditus cenam contempsit. Dixit quidam (apud Franc. Alumnum, de myst. numer.) tria in mundo pericula esse. *Currere super equum, navigare, vivere sub tyranno.* Qui villam emit seu honores sectatur, super equum currit magno et continue lapsus periculo: qui boves emit et opibus inhiat, navigat in mari, non minore etiam discrimine; quia parum a submersione abest: *Qui enim volunt divites fieri, incidunt in desideria nociva, quae mergunt homines in interitum,* ait apost. 1. Tim. VI. sed qui uxorem duxit, vivit sub tyranno; proinde, ni fallor, caeteris non parum infelicio et periculo vicinior. Caeterum enim imprimis est etiam legitimo matrimonio posse conjuges abuti, ut gravissime in eo peccent. ideo S. Hieronymus et ante eum Xyrtus philosophus dixit: *Adulter est in suam uxorem omnis impudicus amator ardentior.* Et potest quis non minus et proprio vini dolio nebulari, quam ex alieno, uti dixit S. Aegidius

socius S. Francisci cuidam conjugato sibi blandienti. Certum etiam est facilius esse ab alienis abstinere, quam suis parce et moderate uti; illud facilius agnoscitur esse malum quam istud. Jane Eusebius, l. IV. hist. c. XVI. scribit pudicam quamdam mulierem thori separationem a viro impudico et bestiali postulasse et impetrasse, quia is consuetudine uxoris foede abutebatur.

Deinde, quia neuter conjux sui corporis potestatem habet, sed alter alterius: hinc ab oratione et cultu divino facile et communiter impediuntur, dum alterius incontinentia alterum impedit: nihil autem difficilius quam Deo simul et carni vacare. Propterea Deus daturus Hebraeis legem, mandavit eis antequam accederent ad montem Sinai: *Ne appropinquetis uxoribus vestris,* Exod. XIX. quia nimirum ad sanctificationem acquirendam non solum immunitas requiritur a peccato, sed abstinencia etiam a licitis, quae cum sanctificatione parum recte conveniunt, ut explicat Rupertus; «Nam qui abstinet solum ab illicitis, inquit, poenam quidem evasit peccati, sed gloriam sanctitatis non est assecutus. Quod si hoc dictum est accessuris ad illum ignem visibilem et turbinem et caliginem et procellam et tubae sonitum, quanto magis accedentibus nobis ad judicem omnium Deum et testamenti novi mediatorum Jesum?» Quod idem de oratione concludit S. Hieronymus, super Ezech. cap. XLVI. *Si accessuri ad audienda et suscipienda verba Dei sanctificari jubentur ab uxoribus, manifestum est in lege illud apostolicum contineri, 1. Cor. VII. Nolite fraudare invicem nisi forte ex consensu ad tempus, et ex consensu abstinendum ab uxoribus, ut vacemus orationi.* Unde primis Christianis consueti fuit ea continentia, omnibus diebus dominicis, et in solemnitatibus, necnon per quadragesimam, ut anno Domini 800. scribit Nicolaus 1. ad consultat. Bulgar. c. IX.

Denique, quia gravia sunt conjugii onera et quasi lateritii labores Hebraeorum in Aegypto, a quibus impediabantur, quominus beo vacarent. Maritus in alendis, uxor in comendis, tergendis, vestiendis liberis occupatur. Saepem alter conjugum aut uterque difficilis et intolerabilis certo quodam e vitio est, maritus potator vel aleator, uxor viro molesta, querula et altera Xantippe. Hinc Pharaoneus a thesauris rex nominatissimus, die qua decessit, Leontio fratri suo dixit: *Nihil mihi defuisset ad plenam felicitatem, si defuisset uxor.* Leontio causam quaerenti: *Sciunt hoc omnes mariti,* inquit. Thomas Morus quoque per jocum quidem, serio tamen dicebat quaerenti cur uxorem statura tam humilem accepisset: *Quia e duobus malis minus eligendum putavi,* Sta-

plet. in vita, e. XIII. Experti suo malo sunt suavem hanc tyrannidem, Adam ab Eva illectus et in extremam calamitatem reductus; Salomon ab uxoribus suis, in senio dementatus; Achab a Jezabele sua, ad necem innocentis Naboth machinandam permotus; Herodes ob amorem pellicis suæ in cædem Joannis impulsus.

VI. Ferculum ex hac cœna debetur iis, qui extra Ecclesiam catholicam sunt. Scire illi debent, non esse aliam viam veniendi ad cœnam æternæ felicitatis, nisi per fidem, eamque catholicam. Servi enim quos misit Dominus ad vocandos hospites, non sunt alii nisi apostoli et qui ab iisdem, legitima successione descendunt. Hi vero omnes ad evangelium, fidem et Ecclesiam eamque catholicam, fundatam supra petram apostolicam vocarunt et traxerunt homines, quasi ad cœnaculum, in quo solo expectanda sit celestis cœna. Quisquis ergo evangelio eique sincere non obedierit, sciat se a cœna excludendum: *Dico vobis*, ait Dominus, *quia nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam*. Hoc idem est quod Isaias, c. LX. dixit: Gens et regnum, quod non servierit tibi (Deus,) *peribit* interitu tam temporali, quam æterno, intelligit. Experta hoc est Persica quædam civitas, cujus episcopus Milles nomine, cum multa ab ea passus verbera et tractus, nulli persuadere posset ut Christianus fieret, moleste tulit civitatisque maledixit et abiit. Paulo post cum primores illic in regnum peccassent, missus est exercitus cum trecentis elephantibus civitatemque illam subvertit et instar arvi aratro subegit, Sozom. lib. II. hist. ecclesiast. c. XIV. Dani cum restitissent evangelio, tanta cæde mactati sunt, ut vulgus omne caderet, de stirpe autem regia nemo remaneret præter unum puerum, Ericum, Adamus, in chron. Baron. anno 885. Superiore sæculo Indi Molucenses, dum a fide Christi ad Mahumetem defecerunt, procellis, fulminibus, turbinibus et cinere, qui totam regionem fertilissimam opplevit et similem terræ Sodomorum effecit, puniti sunt, ut scripsit ex ea regione p. Beyra societatis Jesu testis oculatus. Et propterea jussit Dominus, ut prædicatores ab ædibus repulsi, pedum pulverem in eas excuterent, ad contestandam Dei vindictam, quæ imminet eis, Luc. IX. Ita S. Franciscus Xaverius Malacensi præfecto, quod per eum ab itinere suo in Sinas impediretur, excommunicato, illico Malaca discedit. « In urbis porta, pulvere de calceis (uti Christus apostolis præceperat) excusso, civitati celestem iram multasque et graves denuntiat clades. Et denuntiationi respondit eventus. Nam brevi, fame, bellis, morbis urbs exhausta est, ut fere ad solitudinem redigeretur, » ait Tersellinus, lib. V. vite, cap. VII. *Revelatur enim ira Dei, inquit apos-*

tolus ad Rom. 1. *de cælo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum qui veritatem Dei (evangelium scilicet) in injustitia detinent*. Eadem Dei iram expertæ sunt sectæ et regna Arianorum Gotthorum et Wandalorum; regna Nestorianorum, Eutychianorum, Monoclastarum, Monothelitarum, etc. Ex quibus omnibus patet, fidem et evangelium omnibus ad salutem esse necessarium.

VII. Septimum debetur Christianis omnibus, qui divinis vocationibus non respondent aut acquiescunt, sed magis temporalibus rebus student, quam iis quæ ad salutem dirigunt. Eo pertinent qui levi nimis de causa, violant præcepta Dei et Ecclesiæ, qui ob vilia quæque minusque necessaria negotia, negligunt s. confessionem et communionem in paschate vel morbis periculosis; qui ad nundinas et agros suos currunt cum præceptum Ecclesiæ implendum; qui uxoribus nimis facile omnia indulgent, quæ cum virtute et Dei timore non satis stare queunt; toti sunt in agris et gregibus suis, et vix semel in die cogitant de Deo, etc. Hos enim et his similes accusabunt aliquando coram Deo pastores, concionatores et confessarii, qui ad eos missi, vocationem ad cœnam Dei fideliter eis insinuarunt, non tamen auditi sunt. Eorum enim contumaciam nuntiant Deo, cum vel illos rebelles increpant, vel coram Deo accusant in suis precibus, vel cum desinere a correctione aut deserere eos coguntur. Quemadmodum vero paterfamilias ad hoc nuntium servi sui iratus est: ita irascitur Deus improbis, qui morem gerere servis ejus ad se missis nolunt, uti diximus de infidelibus. Et si irascitur infidelibus, quanto magis fidelibus? Si alienis, quanto magis peculiari sibi jure adscriptis? Sæpius legimus ultionem divinam in refractarios homines a monitoribus provocatam illico adfuisse, uti senserunt Core, Dathan et Abiron resistentes Moysi, qui cum hoc, Deo conquestus simulque precatus esset: *Ne respicias sacrificia eorum; a terra absorpti sunt*, Num. XVI. Huic addamus e novæ legis tempore historiam alioqui notissimam: *De contumacia quorundam irreverentia erga s. missam, quam scribit Crantzius, in Saxonia, l. IV. c. III. Naucleus et alii. Choreas aliqui ducebant in Colbeke villa Halberstadensi nimis insolenter ipsa dominicæ nativitatis nocte, et quod culpas valde auget, etiam in ipsius ecclesiæ cœmeterio S. Mauri. Erant autem, qui id agerent, ebrii omnes, tum viri, tum feminae, quamobrem inconcinnis clamoribus divinum officium inturbabant. Rogati a sacerdote, ut abstinerent, cum non parerent, ille velut quadam pia indignatione commotus dixit: Quando mecum divina religio contemnitur, sit vobis circuitio, choreaque illa annalis. Adeo illa sen-*

tentia Deo probari visa est, ut ii in chorea semper perseveraverint absque cibo dies ac noctes sine ulla quiete, adeo ut quidam sancti viri etiam pro illis diu rogarint, at illi nihilominus annum integrum perseveraverunt. Ac cum quidam sorores suam ex eo circulo ablaturus accessisset, potius brachium devulsit, uravit maute adeo is motus, ut alta terræ vestigia impresserint. Anno demum evoluta quievit, major pars spiritum exhalavit; pauci, qui superfuerunt, recreati insigni se pœnitentia macerarunt, ac eidereque hæc, imperatore Henrico. Refert Major. tom. 1. canic.

## CONCIO X.

## MYSTERIA.

I. Quis parabolæ scopus? — II. Quænam illa cœna magna? — III. Quis instructor cœnæ et quis servus? — IV. Quænam hora cœnæ? — V. Quinam invitati et cur venire noluerunt? — VI. Quando reversus servus nuntiavit hæc domino suo? — VII. Qui sunt pauperes, debiles, cæci, claudi? — VIII. Quinam venire compulsi?

## THEMA.

*Homo quidam fecit cœnam magnam. Luc. XIV.*

Cœna, auditores; nocturnum est convivium, quod proinde eget lumine ad mensam posito; quò deficiente non cernuntur epulæ, nec sine errore et læsione a convivis absumuntur. Talis autem est parabola ista proposita de cœna; convivium quoddam spirituale, inquam, sed nonnihil obscurem, ideoque lumine indiget, de quo Ps. CXVIII. dicitur: *Declaratio sermonum tuorum illuminat et intellectum dat parvulis*. Ergo ut hujus cœnæ epulas, hujus parabolæ intellectum cernamus ac cum fructu degustemus accendemus illi, præstante Domino, aliquantum luminis.

I. Quis parabolæ scopus? Resp. ex præcedentibus colligendum. Accumbens Dominus mensæ principis Pharisæorum præclarum illi documentum dederat: *Cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, et cæcos, et beatus eris, quia non habent retribuere tibi, retribuetur enim tibi in resurrectione justorum, etc.* Quæ cum audisset quidam ex discumbentibus, divinæ retributionis desiderio accensus, ait: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei*. Hinc ergo, occasione arrepta, proponit illi Dominus parabolam ex ipso convivio, in quo erat, depromptam, ostenditque gentiles præceptores Judæis cœnam illam celestem, et quidem culpa ipsorummet, ut qui primo invitati et sæpius vocati comparere noluerunt, præferentes terrena supernis bonis, ipsorum igitur loco vocandos et trahendos esse

primo contemptos quosque ex Judæis, deinde cæcos, claudos et debiles, extra civitatem Ecclesiæ positos, promiscuam scilicet gentilium multitudinem, Dei veri cognitione destitutam, in peccatis ambulantem et promissionis spe carentem. Id quod jam cernimus factum vocatos, scilicet gentiles, reprobato vero Judæos. Unde parabola ista, cum a Christo proponeretur, prophetia erat: nunc vero est historia.

II. Quænam illa cœna magna? Resp. esse celestis beatitudinis delicias. Comparatur autem vita æterna in primis convivio. Primo, quia ut in convivio sunt omnis generis deliciae, epulæ et vina ad gustum; symphonia ad auditum; odores ad odoratum; flores et fictitia ferula ad delectandos oculos parata: ita in cælo omnis generis deliciae sunt, ad recreandas omnes vires corporis et animæ. Sed audiamus card. Bellarminum, in lib. de æter. felic. l. V. c. V. accuratius hæc expendentem. « In cœna magna oblectantur oculi in apparatu sumptuoso totius aulæ, in ordine ministrorum, vestibus decoris et pretiosis indutorum, in vasis aureis atque argenteis quibus inferuntur cibi: oblectantur aures variis musicis instrumentis et vocibus cantorum et cantatricum audiendis: oblectatur sensus olfaciendi in odoribus florum et rosarum, in unguentis pretiosis et aquis odoratis, aliisque rebus odorem suavissimum spirantibus: oblectatur sensus gustandi in condimentis ciborum omnis generis et vinis pretiosis undique allatis: oblectatur denique sensus tangendi in recubitu, sive accubitu in lectis mollissimis atque gratissimis. Itaque in cœna regia ac nuptiali conveniunt simul, omnia fere corporalia bona, quæ hic in terris inveniri possunt, ut non sine causa Dominus representare volens felicitatem, quæ in se bona omnia comprehendit, cœnæ magnæ illam comparare voluerit: de qua etiam legitur in Apocalypsi: *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt*. Deinde, quam sit magna illa cœna Domini, ex eo cognosci potest, quod omnis gloria corporum gloriosorum erit quasi postrema mensa, in qua bellaria apponuntur. Tanta autem est bellariorum istorum suavitas, ut Sanctus Petrus videns aliquando corpus Domini splendere instar solis, dixerit: *Bonum est nos hic esse*. Et si talia sunt bellaria, quid erit substantia cœnæ, quæ in fruitione divinitatis posita est? »

Secundo, quia ut in convivio abundantia et satietyas est: ita in cælo beati omnes saturantur et superest infinita voluptatum copia, etiam infinitis aliis, si forent, hominibus. Unde David, Psal. XXXV. ait: *Inebriabuntur ab libertate domus tuæ: et alibi: Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Hanc causam similitudinis